

consensu et beneplacito supradictorum ciuium dedimus, donauimus et contulimus, imo damus, donamus, conferimus presenti priuilegio per ipsos et ipsorum posteritates tenendas, habendas et perpetuo possidendas. Datum ut supra.

Ex membrana originali in coll. Jankovićiana. — Fejér G. Codex Dipl. Regni Hung. T. IX. v. II. p. 685.

XCVIII.

Anno 1359—1377. In Vissegrad.

Privilegium Ludovici I. Regis, quo incolae Regni totius Slavoniae ab omni alia praeter unius Regni hujus Bani jurisdictione eximuntur.

Nos Lodovicus Dei gratia Rex Hungarie, Polonie, Dalmatie etc. Memorie commendantes tenore presentium significamus, quibus expedit vniversis: quod Dyonisius filius Johannis de Orbouch, sua, ac vniversorum nobilium et aliorum hominum regni nostri Sclavonie personis ad nostre serenitatis accedendo presentiam, exhibuit nobis quasdam litteras nostras patentes maiori sigillo nostro consignatas, tenoris infrascripti, supplicans humiliter nostre Maiestati, vt ipsas litteras nostras patentes presentibus de verbo ad verbum transcribi et transumpti facere dignaremur pro eisdem ad cautelam; quarum tenor talis est: Nos Lodovicus Dei gratia Rex Hungarie memorie commendantes tenore presentium significamus quibus expedit vniversis: quod nos de statu tranquiliore fidelium nostrorum nobilium videlicet et aliorum quorumlibet hominum in regno nostro Sclavonie existentium providentes huiusmodi gratiam eisdem duximus faciendam, vt nullus omnino hominum ipsos in Curiam nostram, vel in aliquorum aliorum Judicum extraneorum, ex ista parte fluvii Drave existentium, presentiam citare valeat, aut alicubi res et bona eorundem prohibere; sed si qui cum eisdem regni Sclavonie hominibus quicquam habent actionis, in presentia Bani ipsius regni Sclavonie, vel vices eius gerentis, legitime exsequatur. Et si in iudicio ipsius Bani, vel vices eius gerentis, aliquis querelantium suspicatus fuerit, nec contentus esse voluerit, extunc seriem Iudicii per ipsum Banum, vel vices eius gerentem facti, in nostram et Prelatorum ac Baronum nostrorum presentiam in Curiam nostram transducere valeat atque possit, pro deliberatione fienda super Iudicio prenotato. Datum in Vissegrad in Festo decorationis Sancti Johannis Baptiste. Anno Domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo nono. Nos itaque iustis et iuri consonis supplicationibus prefati Dyonisii nominibus, quibus supra, nostre humiliter porrectis Maiestati, pietate favorabili inclinati, iam dictas litteras nostras patentes presentibus de verbo ad ver-